

quam quod nos adipiscimur visionem Dei increatam non formaliter, sed objective, quia ipsa Dei visio etiam est objectum nostræ cognitionis beatæ, et illam adipiscimur, non ut formam cognoscendi, sed ut objectum cognoscibile. Et hæc dixerim, si tamen S. Augustinus habet illa verba, ut referuntur, nam in eo loco in quo citatur, ego non invenio.

ARTICULUS II.

Utrum necesse fuerit in Christo ponere scientiam infusam per se, qualis ponitur a D. Thoma?

I. Non facile assignatur a theologis necessitas ponendi hanc scientiam in Christo, nam in præsentibus non loquimur de scientia infusa in tota sua latitudine; dicitur enim aliqua scientia infusa, vel ratione objecti, vel ratione principii effectivi infundentis. Ratione principii omnium lumen, quod Deus per se immediate superaddit ad lumen naturale potentia intellectivæ, potest dici scientia infusa, sive scientia naturalis miraculose a Deo creata, et per accidens infusa, quia totum hoc causatur ex infusione Dei, et loquendo in hac latitudine de scientia infusa instatur esse omnino certum, ita ut oppositum sit erroneum, dari in anima Christi aliquam scientiam per se infusam, saltem beatam, et donum sapientiæ, et scientiæ, de quo dicitur Isaïæ XI: *Et requiescit super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, et intellectus, etc.* sed præsens difficultas est de illa scientia per se infusa, quæ est talis non solum ex parte efficientis, sed quasi formaliter, et ex parte objecti, quia respicitur objectum tale, scilicet tali modo, quod nisi per infusionem Dei est cognoscibile. Et differt a scientia beata, quia non cognoscit essentiam divi-

nam clare in se, vel creaturas mediante essentia divina; sed in proprio genere, quia est scientia habitualiter permanens, et per hoc differt a revelationibus transeuntibus, et a scientia acquisita, quia hæc attingit objectum, ut naturaliter cognoscibile, et solum per accidens potest esse infusa.

II. Loquendo ergo de scientia per se infusa in prædicto sensu, oritur ratio dubitandi, quia nulla datur causa ad ponendam hanc scientiam, pro qua non sufficiat sive scientia beata, sive revelationes extra Verbum, sive scientia naturalis, sive propriis actibus acquisita, sive per accidens infusa; nam præter auctoritates Scripturæ, quæ loquuntur de scientia animæ Christi, de plenitudine ejus, possuntque sufficienter intelligi de quacumque scientia infusa ex parte objecti, ut nunc in particulari loquimur, præter istas inquam auctoritates solum triplex causa excogitari potest, ut ponamus istam scientiam in Christo.

III. Prima propter officium doctoris, quia Christus est universalis doctor omnis creaturæ intellectualis, et consequenter debet habere scientiam omnium eorum de quibus possunt edoceri homines, et Angeli, et ad hoc reducitur officium judicandi, quia de omnibus habet judicare.

IV. Secunda ratio est, propter actiones meritorias, quas habuit dum esset viator, quia regulari non poterant quatenus meritoria per scientiam beatam, quæ ex suo connaturali modo excedit statum merendi: nec per fidem, quia illa non fuit in Christo; et tamen requirebatur notitia supernaturalis, quia actus illi meritorii supernaturales erant: ergo requiritur scientia infusa supernaturalis.

V. Tertia denique ratio est propter perfectionem animæ Christi, ut

in eo sit plenitudo omnium scientiarum, et modorum intelligendi res, non solum in essentia divina, nec solum per species intellectus agentis, sed etiam per species modo angelico infusas, et habitas: quod autem nulla ex his causis sit sufficiens, sic ostenditur.

VI. Quantum ad primam probatur, quia illuminatio, et doctrina de rebus supernaturalibus sufficienter fiunt per ipsam notitiam beatam, sive revelationes factas extra Verbum; etenim Angeli superiores illuminant, et docent inferiores de rebus supernaturalibus; et tamen propter hoc non ponimus in illis aliquam scientiam infusam distinctam a scientia beata, et revelationibus extra Verbum; ergo nec anima Christi ad illuminandum Angelos, et homines (quod est officium doctoris) non indiget aliqua scientia infusa distincta a scientia beata, et revelationibus extra Verbum.

VII. Secunda etiam causa non videtur sufficiens. Nam in primis charitas, quæ est principium meriti, non potuit regulari in Christo nisi per scientiam beatam, quia si haberet unum actum regulatum per scientiam beatam, ut necesse est ponere, et alium regulatum per scientiam infusam, non evadit illud inconveniens, quod sint duo accidentia ejusdem speciei in eodem subjecto, nam charitas, et in patria, et in via ejusdem speciei est; charitas autem ut regulata per scientiam beatam adhuc potest elicere actum meritorium, quia potest elicere actum liberum, non quidem amando Deum in se, quia sic est actus necessarius, sed amando creaturas in Deo, quas beati libere diligunt, et consequenter Deum ut principium talium creaturarum, et cum connotatione ad creaturas.

VIII. Et deinde dato quod actus charitatis ut meritorii non possint

regulari per scientiam beatam, cur non sufficerent revelationes factæ extra Verbum, si quidem tales revelationes natæ sunt excitare amorem in voluntate erga res revelatas? Talis autem amor, cum esset in statu viatoris, et non pure comprehensoris, non est dubium quod poterat esse meritorius; ergo ex hoc capite superfluit scientia infusa.

IX. Denique tertia causa non videtur sufficiens; tum, quia Angeli, (ut diximus) res supernaturales extra Verbum in proprio genere cognoscunt, et docent; et tamen non habent scientiam per se infusam distinctam a scientia beata, et revelationibus; ergo sine illa potuit anima Christi esse perfecta in cognitione rerum supernaturalium in proprio genere; tum, quia ratio D. Thomæ, quæ procedit ex eo, quod esset imperfecta anima Christi, si careret ista scientia, eo quod esset in potentia ad omnia cognoscibilia, id non ostendit, quia ad istam scientiam non est nisi in potentia obedientiali; potentia enim naturalis solum est ad species acquisitas virtute intellectus agentis. Carere autem aliqua perfectione pertinente ad potentiam obedientialem non infert imperfectionem, et defectum, quia non debitum est creaturæ; neque in nobis est imperfectio carere tali scientia; ergo male D. Thomas infert illam dari in Christo, quia sequeretur imperfectio.

X. Confirmatur illa communi difficultate, quia impossibile est in eodem intellectu esse duas species intelligibiles ejusdem objecti, et duas cognitiones in actu, sicut nec duplici termino, et figura eandem quantitatem terminari.

XI. Nec sufficit dicere, quod species scientiæ infusæ, et acquisitæ circa idem objectum sunt essentialiter diversæ, si quidem scientia per se infusa etiam cognoscit res natu-

rales; ergo per speciem naturalem talium rerum: ergo habet similitudines ejusdem speciei cum acquisitis, quia sunt de eodem objecto. Dicere enim quod res naturalis cognoscitur per species supernaturales, omnino fictitium est. Quomodo enim stare potest, quod species equi, vel hominis in proprio genere supernaturalis sit, si res ipsa, cujus est species, supernaturalis non est?

XII. Nihilominus opposita sententia tenenda est tamquam communis theologorum, imo magister Medina supra articulo quarto hujus quæstionis addit oppositum esse temerarium, quia omnes theologi oppositum docent. Sed ab ista censura abstinent magister Cabrera in commentario dicti articuli, et Vazquez disputatione LII, capite primo, alique recentiores, solum id tamquam verius tenentes, et oppositum tamquam minus probabile; non enim est contra omnes scholasticos absolute, quia aliqui doctores solum tribuunt Christo scientiam per accidens infusam, inter quos censentur Nominales, et Alexander, et Bonaventura et Durandus, imo et Scotus inclinari videtur, quatenus addit contra S. Thomam, quod si daretur scientia infusa, et acquisita in Christo essent duo accidentia ejusdem speciei in eodem intellectu, sicut sunt scientia infusa, et acquisita.

XIII. Quidquid tamen sit de hoc ad defendendum causas, propter quas necesse est ponere hanc scientiam in anima Christi, quæ inter arguendum assignatæ sunt, supponendum est, quod de scientia per se infusa ex parte objecti loqui possumus sive quantum ad substantiam, sive quantum ad modum substantiæ. Usus etenim scientiæ consistit in duobus, ut infra quæstione XI apparebit, scilicet in speciebus, et in lumine, quatenus judicatur.

Sic enim S. Thomas 2-2, quæst. CLXXIII, articulo II, loquens de prophetia inquit: « Quod circa cognitionem mentis duo oportet considerari, scilicet acceptionem, sive representationem rerum, et judicium de rebus præsentatis, etc. » Per donum autem prophetiæ confertur aliquid humanæ menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem quantum ad utrumque, scilicet quantum ad judicium per influxum luminis intellectualis, et quantum ad representationem rerum, quæ fit per aliquas species, et istæ quandoque sunt de novo impressæ, quandoque solum denovo ordinatæ. Sic igitur ista duo ad minus sunt de substantia cognitionis scientifiæ, quæ judicativa est; modus autem hujus scientiæ attendi potest penes hoc, quod detur per modum habituales, sive per modum transeuntis; prius enim explicabimus necessitatem ponendi hanc scientiam quantum ad substantiam, deinde quantum ad modum.

XIV. Prima igitur, et principalis causa propter quam ponitur ista scientia est illa, quæ assignatur a S. Thoma articulo tertio citato, ut anima Christi sit perfecta in cognoscendo omni modo sibi possibili, non solum per scientiam beatam, sed etiam in proprio genere. Pertinet autem ad cognitionem in proprio genere duplex modus cognoscendi, primus dependenter a phantasmatibus: secundus pure intelligibiliter; hic enim modus cognoscendi non est extra latitudinem cognitionis debitæ ipsi animæ Christi, tum etiam ad cognoscendum perfecte res spirituales, et supernaturales necesse est cognoscere illas; licet enim animæ rationali secundum se consideratæ non sit debita cognitio perfecta, et quidditativa rerum spiritualium, et supernaturalium, tamen animæ rationali, ut

elevatæ per gratiam unionis ad supremum officium administrandi omnem creaturam intellectualem, debetur perfecta cognitio omnium supernaturalium, et spiritualium, alioquin non essent ei perfecte subjecta, nec illis perfecte judicare posset, et sic maneret in potentia anima Christi, et consequenter imperfecta, carens aliquo sibi debito, ex suppositione talis officii, et dignitatis. Quo supposito efficacissime currit ratio S. Thomæ, quæ tamen diminuta esset, si solum procederet de anima Christi entitative secundum se considerata; sic enim non est sibi proxime debitum, quod cognoscat cognoscibilia, et habeat capacitatem ad illa.

XV. Cur autem non sufficit scientia beata, sed requiritur in proprio genere, respondetur ex S. Thoma hic articulo tertio, ubi ait: « Quia visio beata fit per formam excedentem proportionem creati intellectus; unde ut intelligat juxta proportionem suam, et connaturalem modum, requiritur quod per proprias species ipsarum naturarum cognoscat. » Pertinet ergo hoc ad perfectionem animæ Christi; tum propter majorem perfectionem; tum simpliciter. Propter majorem quidem perfectionem, quia de eadem re habere plures scientias, et demonstrare aliquid pluribus modis major perfectio intellectus est; simpliciter autem, quia licet per scientiam beatam cognoscat anima Christi in Verbo ea, quæ cognoscit per scientiam infusam, tamen ille modus cognoscendi propter excessivam perfectionem, non perficit intellectum, juxta modum suum connaturalem proportionatum. Est autem valde inconveniens, quod intellectus maneat privatus modo magis connaturali ex eo quod habeat excedentem; alioquin si hæc ratio aliquid probaret, etiam remota esset a Christo scientia natu-

ralis acquisita, eo quod naturas cognoscibiles per hanc scientiam videret in Verbo. Quod si non tollitur acquisita, ut connaturali modo intelligat juxta modum connaturalem animæ conjunctæ, cur non ponetur scientia infusa, ut connaturali modo intelligat juxta modum animæ separatæ, et angelicæ? Præsertim cum sint aliquæ naturæ, nempe spirituales, et supernaturales, ad quarum perfectam cognitionem in proprio genere, et secundum modum proportionatum scientia acquisita non sufficit, et beata est nimis excessiva.

XVI. Secunda causa propter quam ponenda est scientia infusa in anima Christi est non solum propter perfectionem in cognoscendo, sed etiam ad exercendum officium supremi doctoris omnium creaturarum intellectualium. Ut enim possit aliquis docere, et illuminare, debet communicare in doctrina cum ad discipulo, et ei proportionari: unde et Angeli superiores ad illuminandum inferiores de veritate, quam in universali concipiunt, in particulari dividunt, et accommodant capacitati inferiorum, ut docet S. Thomas I part. quæst. CLX, articulo primo. Licet autem illuminare possint inferiores Angelos de his rationibus, quas intelligunt in essentia divina, ut docet S. Thomas ibidem ad primum, non tamen eos illuminant, et docent per ipsam scientiam beatam, sed per infusam, quia et si Angeli, et beati superiores communicent inferioribus ea, quæ inferiores non vident in Deo, tamen inferiores beati non possunt proficere in ipsa scientia beata, ita ut in ea magis illuminentur ab aliqua creatura, nec superior Angelus, aut beatus ipsam visionem beatificam potest dividere in se ipsa, et accommodare capacitati inferioris, cum illa visio sit omnino immutabilis.

XVII. Unde relinquitur, quod quando Angelus intendit illuminare inferiorem, sive beatum, sive viatorem de his, quæ vidit in essentia divina oportet, quod convertat se ad cognoscenda illa per proprias species, et in proprio genere extra Verbum, et sic res illas accommodat capacitati inferioris Angeli, ut explicat, et notat magister Bagnez 1 parte, quæstione clx, articulo primo, dubio III, conclusione II. Aliter enim non potest res illas accommodare capacitati inferioris, quia ipsa visio beata est indivisibilis, et immutabilis, nec potest capacitati inferioris accommodari, nisi inferior crescat in lumine gloriæ, et in unione essentiæ divinæ. Si ergo ad docendum alios oportet videre, et cognoscere creaturas per proprias species extra Verbum, cum Christus debuit illuminare, et docere omnes oportet, quod habeat cognitionem per species proprias extra Verbum: et cum possit illuminare de omnibus, tam supernaturalibus, quam naturalibus oportet, quod habeat species, et scientiam infusam comprehendentem omnia ista intelligibilia.

XVIII. Neque ad hoc sufficit fides, quæ imperfectionem importat obscuritatis, quæ non est in Christo, nec prophetia, quia si est imaginaria est imperfecta, quia intelligit dependenter a phantasmatis, et figuris imaginariis. Si autem est intellectiva, quæ veritates intelligibiles sine phantasmatis contemplatur, excedit modum prophetiæ proprie dictæ, ut docet S. Thomas 2-2, quæst. clxxiv, artic. II et III; ideoque magis pertinet ad scientiam infusam: et denique prophetia non pertinet ad statum puri comprehensoris.

XIX. Ultima causa propter quam ponitur scientia infusa in Christo est, ut in hac vita possit habere ac-

tus meritorios regulatos per scientiam proportionatam ad merendum. Oportet enim quod cognitio regulativa meriti sit supernaturalis, et non poterat in Christo esse fides propter obscuritatem, et imperfectionem suam; debebat ergo esse notitia clara, et non sufficiebat scientia beata. Nam quidquid sit, an charitas regulata per scientiam beatam possit mereri respectu eorum, quæ videntur in Deo, et libere diliguntur (de quo infra quæstione XIX) tamen duo nec potest præstare scientia beata circa actum meritorium charitatis. Primum est, quod non potest actus amoris Dei sistens in ipso Deo secundum se sine connotatione ad creaturas esse meritorium, quia hic actus hoc modo sumptus est necessarius, ut regulatur a scientia beata, et sic qui defendunt illam sententiam, tenentur dicere, quod Christus actu charitatis, quo diligitur Deus in se ipso, et non ut principium creaturarum, non merebatur: hoc autem est inconveniens, quia meritum principaliter consistit in principali actu charitatis; principalis autem actus est, quo amatur divina bonitas non ut communicativa ad creaturas, sed ut est in ipso Deo, ex eo enim, quia amatur in se, amatur etiam ut principium creaturarum.

XX. Alterum est, quod scientia beata non est per se proprie, et connaturaliter regula meriti, nam per se, et ex se scientia beata constituit comprehensorem, non viatorem. Licet enim sit conjuncta in Christo cum statu viatoris, ipsa tamen non constituit hunc statum per se, sed statum comprehensoris quantum est de se; ergo charitas ut regulata, et descendens ab ipsa non est charitas viatoris quantum ad statum viatoris, sed comprehensoris, licet versetur circa idem objectum, circa quod charitas viatoris. Dicit autem S.

Thomas infra quæstione XIX, articulo III, quod Christus non meruit per charitatem, quatenus erat comprehensoris, sed viatoris, scilicet quantum ad statum: ergo neque regulabatur scientia beata, quæ de se solum est constitutiva status comprehensoris, licet conjungi possit cum statu viatoris.

XXI. Præterquam quod ipsa scientia infusa non solum est speculativa, sed practica, sicut fides; ergo debet regulare actus humanos supernaturaliter modo practico; sed necesse est in actibus humanis incipere ab intentione finis, et amore illius; ergo si scientia infusa erat practica in Christo, necessario causabat amorem finis supernaturalis, hic autem est Deus, ut attingitur a charitate; ergo necesse est ponere actum charitatis regulatum a scientia infusa circa amorem Dei.

XXII. Istæ sunt causæ, propter quas necessario ponitur scientia infusa in anima Christi, loquendo de tali scientia quantum ad substantiam. Loquendo autem de illa quantum ad modum permanentis, et non transeuntis est in Christo, ex eisdem principiis sumitur, quia Christus debebat perfici illam scientiam tamquam doctor omnium creaturarum intellectualium, et secundum statum perfectum scientiæ, ut virtus intellectualis est, et secundum modum connaturalem ipsius animæ, ut docet S. Thomas infra quæstione XI, articulo VI. Doctor autem debet habere scientiam modo habituali, et permanenti: intendit enim perficere addiscentem in cognitione, quam docet; addiscens autem perficitur habitualiter, et non solum modo transeunti; sic enim nihil addiceret. Inconveniens est ergo, quod doctor non habeat scientiam eo modo, quo intendit eam discipulum habere, scilicet habitualement.

XXIII. Similiter intellectus postulat perfici scientiam modo habituali; inde enim denominatur aliquis sciens simpliciter, quia habet scientiam in se permanentem, et independentem ab actuali cognitione; tum, ut possit illa uti, cum voluerit, et habitibus utimur cum volumus, non revelationibus; tum, quia scientia est virtus intellectualis; non enim quis habere virtutem dicitur in statu perfecto, nisi habeat illam habitualiter. Ut ergo Christus Dominus haberet hanc scientiam in statu perfecto, debuit illam habitualiter habere.

XXIV. Sed contra hoc instabis: Nam etiam Christus Dominus habebat virtutem miraculorum, ut uteretur illa cum vellet, tamquam potestatem habens; et tamen non habebat illam per modum habitualement, ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. clxxviii, art. I ad primum: « Impossibile est quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima: » ergo similiter poterit sine aliqua qualitate habituali perfici anima Christi ad utendum revelationibus, cum voluerit.

XXV. Et confirmatur fortius ex eodem loco, nam dicit S. Thomas: « Quod sicut prophetia se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter cognosci possunt, ita operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt; quorum causa est divina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari potest: et ideo impossibile est, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas permanentis; » ergo sicut non datur virtus habitualis ad patranda miracula, ita neque virtus habitualis ad scientiam infusam. Patet consequentia, nam ideo non datur prophetia per modum qualitatis permanentis, quia se extendit ad omnia supernaturaliter